



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Pumilorum gratiosa paruitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

opera defendere; non dare istis occasionem superbiendi; aut iocando ludere.

Barbarè eiusmodi hominum aliquem, ad oblectationem suam, adhibuit, Pesto in Hungaria recepto, Solimannus, qui maximis usus itineribus in Pannoniam peruenit, adductosq; ad se Christianos captiuos circiter octingentos, paucis demitis, crudeliter trucidari iussit. Erat in ijs procera statura Noricus miles, hunc in Germanorum contemptum iussit pumilioni, vix militis eius genua capite attingenti, necandum tradi. Erat hoc fœdissimum spectaculum, virum fortissimum, imbecilla nani manu, per visum & iocum, crebris ictibus humi prosternei, & agrè tandem, præ virium imbecillitate, iugulari. Huiusmodi spectaculo immanissimi Turcarum Principes sese suauiter oblectabant. Et hic quidem Solimannus id sibi iucundum esse ostendebat, vt magnum parui faceret, paruum magni æstimaret.

Alij humanioribus modis oblectationem è pusillis his ceperunt. Cardanus refert, pumilionem, virum perfectæ ætate, cubiti longitudine in pissetaci cauea, in Italia fuisse ostentatum. Curiosè spectatam puellam, nouem annorum, & à se quoque spectatam scribit Albertus, quæ magnitudine vnus anni videretur. M. Antonius quoque ad pompæ ornatum Sisyphum pumilionem, intra bipedalem staturam, ingenio viuacem fertur habuisse. Augustus autem adolescentulum honestè natum bipedali minorem, Lucium nomine, scribitur, spectaculis exhibuisse. Canopas certè in delicijs fuit Iuliæ neptis Augusti, duos pedes & palmum longus. Cuiusmodi etiam fuisse aiunt Andromedam Iuliæ Augustæ libertam. Quin, hitam parui adeò sæpe magni æstimari sunt, vt etiam mortui in ipsis sandapilis spectarentur. Siquidem Manius Maximus & M. Tullius equites Romani, qui binum cubitorum fuere, Varrone teste, defuncti adibantur, eosq; se in loculis asseruatos vidisse testatur Plinius. Et, vt idem memorat, fuerunt semipede maiores sub Angusto Pustio & Secundilla, quorum corpora miraculi gratiâ asseruata sunt in conditorio Sallustianorum hortorum. Cur hæc non mirarentur homines, cum Deus sæpe mirabilior sit in paruis, quàm magnis? tot enim

R III 2 motuum

III.

Laurent. Sur.  
Comment.  
rer. in orbe  
gestar. Anno  
1541.

IV.

Cardan. de  
subtilit. lib.  
de Hom. ne-  
cessi. & forma.  
Idem Card.  
lib. 8. de va-  
riet. rer. c. 43.

Plin. l. 7. c. 16

Ibidem

motuum, & sensuum, & cogitationum organa in exiguum includere corpus, est maioris operæ, si res ipsa spectetur, quam in grandem quamdam capacitatem. Quod videre est etiam in rebus artefactis: vt si quis Iliadem totam in nucem condatur, vel sub muscæ ala quadrigam. Deniq; vel Ethnicus docuit, nihil tam paruum esse, quod non gloriam parere possit.

Plin. lib. 15.  
nat. hist. c. 14.  
V.

Dion. lib. 60.

Quin sæpe etiam ipsa vel paruitas, vel deformitas parit vitilitatem. Asinius Gallus, Drusi frater vterinus, vt de eo ex Dione accepimus, etsi Claudio Augusto insidiatus esset, non tamé extremo supplicio, sed exilio tantum multatus est; idè, quia nec ad suum facinus exercitum parauerat, neque pecuniam contraxerat: item quòd statura minima ac summa deformitate velut monstruosus despiceretur, ridiculusq; magis quam metuendus esse videretur. Rideantur sanè monstra, dummodo rideantur ad incolumitatem. Huic Asinio contemtus profuit, periisset, nisi fuisset monstruosus. Alijs quid obfuit staturæ breuitas? quam tollere non fuit in illorū potestate.

Matth. 6. 27.

Michael Riccius lib. 1. de Francor. regib.

*Quis vestrum, ait Seruator, cogitans potest adycere ad staturam suam cubitum vnum?* At ipsa breuitas nonnullis nomen fecit. Refert enim Michael Riccius, Pipinum, qui Childerico rege fugato, ex Austrasia migrans prætorij præfectus creatus est, tam breuem corpore fuisse, vt *pusilli* cognomen illi inditum sit. Quòd si verò exiguitas staturæ alijs non nomen, tamen gratiam dedit, vt Menestrati apud Lucillum in Græcis Epigrammatis; & Faustulo apud Ausonium, qui ita in eum iudit:

*Faustulus insidens formica, vt magno elephanto*

*Decidit, & terre terga supina dedit.*

*Moxq; idem ad mortem est multatus calcibus eius,*

*Perditus vt posset vix retinere animam,*

*Vix tamen est fatus: Quid rides improbe liuor,*

*Quòd cecidi? cecidit non aliter Phæthon.*

VI.

Quàm multi nihil haberent, quod inter confabulandum loquerentur, nisi in masculos dicta dicerent? nisi eorum vitilitates dipulo differrent, & nescio quas non instituerent comparationes? Nimirum existimant, eos qui parua nōrunt tangere, optimos esse iaculatores. Aliter iudicauit Christus, qui postquam